

## VVITTEBERGENSIS.

**H**Oræ ita distribuantur, ne duo Lectores eandem horam occupent, ne quam æmulationem ea res pareat, fiatq; horarum & materiarum distributio sine ambitiosis certaminibus, candidè & placidè. Disputent etiam hoc ordine Doctores Theologiæ, vt singulis anni quadrantibus vna fiat publica disputatio, & sumantur materiæ Theologiæ vtilis ad erudiendos auditores.

Ipsæ verò materiæ priusquam publicè proponuntur, ostendantur Decano huius Collegij, qui si aliquid improbabit, iubeat corrigi. Si quis autem vel non ostendet, vel iussus non corriget, Rector & Decanus iubeant differri disputationem in aliud tempus, & propositiones prius in toto Collegio examinentur.

### S E X T A.

**S**I incidet controuersia de dogmate Ecclesiastico, & vnus vel plures in hoc Collegio, aut alijs concordiam doctrinæ conturbare videbuntur, Decanus eam rem ad Rectorem & consilium totius Vniuersitatis referat. Ac Vniuersitas, si magnitudo rei postulabit, Principi significabit, & Princeps cum consilio Vniuersitatis eliget Iudices idoneos, qui totam controuersiam diligenter examinent, & iudicio suo veras sententias perspicuè adprobent, & falsas perspicuè damnent.

Porro, etiamsi non referetur res ad Principem, tamen Vniuersitas suo consilio iudices idoneos eligat, qui re diligenter cognita, ferant sententias.

Damnatae propositiones non defendantur, & si quis contumaciter defendet, coherceatur tali carcere, ne malas opiniones latius spargere possit.

D iij

SEPTI-